



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 16. Bellum Judæorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

§. XVI.

*Bellum Judæorum.*Sæculum II.
A. C. 115.

An. 115.

*Epit. Dion.
Traj. p. 254.
Euf. IV.*

c. 2.

Anno Trajani decimo octavo, Jesu Christi centesimo decimo quinto Judæi, quasi Rebellionis œstro perciti, Alexandria, in tota Ægypto, & Cyrenes Regione Ductore quodam Andrea, aut Alexandria seditione commota Romanorum, Græcorumve funera commiscuere; nec morte sedabatur rabies, sed occisorum carnes manducabant, exenteratorum intestinis lumbos suos cingebant, sanguine seipsos illinebant, & detractis inimicorum pellibus propria tegebant corpora. Multi a capite medii serra dissecti, alii ante bestias projecti, aliique digladiando in mutuas cædes compulsi. Hac Judæorum rabie ultra ducenta viginti hominum millia sublata sunt. In Cypro insula sub cujusdam Artemionis auspiciis circiter ducenta quadraginta millia neci data. Hinc lex ab Insulanis lata; quisunque Judæus in Cyprum quomodocunque perveniret, capite lueret; factumque postmodum, ut qui bona fide, legem hanc ignorantem, aut, tempestate adacti, illuc fuissent delati, nihilominus morte efficerentur.

Anno sequenti Trajani decimo nono, *Euf. ibid.*
Jesu Christi centesimo decimo sexto, *Lu. An. 116.*

E e 2

po,

Sæculum II.
A. C. 116.

po, Ægypti Præfecto, commissum est prælium, quo Judæi superiores evaserunt; hinc Gentiles, ut se eorum furori eriperent, quanta poterant celeritate Alexandriam, tutum nempe receptaculum, contendunt, & ne Judæorum, in urbe degentium, fraudibus paterent, ad unum omnes jugulant. Judæi Cyrenaici, auxilio fratrum suorum Alexandrinorum privati, Ductore quodam Lucua, quem Regem suum vocitabant, diripere, & vastare Ægyptum cœpere; his Imperator Marcium Turbonem cum exercitu, & navibus objecit; diuturnum fuit bellum, frequentes conflictus, quibus Turbo infinitam pene Judæorum multitudinem cecidit, qui non solum ex Cyrenaica, sed & Ægypto in auxilium Lucuæ venerant. Timens vero Imperator, ne Judæi Mesopotamiæ in illius Regionis habitatores irruerent, Lucio Quieto mandata dedit, ut hac hominum fæce Provinciam purgaret; is, strenue imperata faciens, ingentem Judæorum numerum una acie fudit, & victoriæ præmium ab Imperatore Judææ Præfecturam tulit. Ita Judæorum pervicacia graviora in dies mala eorum cervicibus conciebat, cum interim Jesu Christi Ecclesia magis magisque dilatata effloresceret.

§. XVII.